

non sufficiat, studium laudo, subtilitatem hominis laudarem, nisi occurreret quod apud Senecam inueni: Chryssippi acumē, inquit, in seipso frangitur: quod de vno dictum innumerabiles tangit.

CLEANTES.

HVius, vt Ciceroni placet magister, vt vult Valerius discipulus Cleanthes, & studiosior & viuacior fuit, vt ad nonum & nonagesimum docendo discendoque peruenerit: & diebus quidem agitatione mentis aduersus ignorantiam, noctibus verò aduersus paupertatem corporis labor pugnauerit, duas res difficillimas, vigilantissimo subterfugerit ingenio.

ISOCRATES.

Parætas Isocratis, qui assiduitate studij præseruatis ad extremum ingenij viribus, quarto & nonagesimo ætatis anno librum scripsit, iuuenilis roboris atque animi testem: Ipse post quinquennio superuixit. Hic est ille Græcus Orator, de quo in Saturnalibus, quod primū omnia verba soluta & vaga sub numeros artauit. Quod si sic accepimus, vt carminis inuentorem æstimemus, ratio temporum obstabit: Constat enim, & Tullius in Rhet.
d. iij.